APRILIS — IUNIUS



ANNUS I 1938 Num. 2.



Ex Internationali Congressu Eucharistico, qui Budapestis celebratus est: Nocturna virorum Ssmi Sacramenti adoratio (supra). Solemnis cum Ssmo Sacramento processio (infra).

HUNGARIA

Internationali Congressui Eucharistico, qui Budapestis celebrabatur, quindecim Cardinales, septuaginta et unus Archiepiscopi et ducenti viginti septem Episcopi ex toto fere orbe terrarum interfuere.

In Honorem S. Stephani. Protestantium in Hungaria presbyteri suam erga sanctum Stephanum, religionis catholicae in hoc regno fundatoris, pietatem, diebus festis ac solemnibus in eius honorem hoc anno a catholicis celebrandis, se esse manifestaturos, sub influxu Internationalis Congressus Eucharistici affirmabant.

Ad Lectorem

Iam per viginti annos filialem Mariae inter fideles amorem spargere atque omnes peccatores, haereticos, iudaeos, paganos, praesertim massones ad Christum revocare sub auspiciis ac tutela Immaculatae conamur.

Ipsa Virgo Immaculata fideles ad se attrahit atque vitam eorum tum privatam, tum domesticam et socialem regit, suam specialem missionem hodiernis temporibus multis miraculis comprobans.

Non solum traditione, sed etiam experientia docti illum Samaritanorum mulieri Christum sibi annuntianti responsum datum, iterare audemus: „...iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est Salvator mundi". Et nos ad agendum, ut Maria magis ab omnibus cognoscatur, impellimur, quia ipsi scimus et videmus, quid Illa apud Deum valeat. Finis ergo, qui nos ad edendum typis hunc „Militem Immaculatae" movit, est, ut Immaculata Virgo altius ab omnibus agnoscatur et abundantius hisce turbulentis temporibus huic mundo gratiam suam infundat.

Viribus unitis, speciali protectione Mariae Immaculatae, quae serpentis caput virgineo pede contrivit, suffulti, eamus laeti, nos sacerdotes, victoriam ex animarum hoste relaturi.

Directio „Militiae Immaculatae"

Acta PII PP. XI

EX LITTERIS APOSTOLICIS MOTU PROPRIO DATIS DE IURISDICTIONE SACRAE CONGREGATIONIS PRO ECCLESIA ORIENTALI

Nos igitur, cum vehementer exoptemus, ut insignia illa beneficia, quae perfecta unitas ac peculiaris regiminis ratio suapte naturâ inducunt, dilectissimis Orientis Ecclesiis tuta pro facultate servemus, postquam rem diu multumque Nobiscum consideravimus, ac supplices Deo Nostras adhibuimus preces, Motu Proprio, certa scientia, ac de apostolicae plenitudine potestatis, haec omnia, quae sequuntur, decernimus atque statuimus:

I. — Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali, cui praeest ipse Romanus Pontifex, plenam et exclusivam iurisdictionem habet in regionibus quae sequuntur: in Aegypto et in peninsula Sinaitica, in Erythraea et in parte septentrionali Aethiopiae, in Albania australi, Bulgaria, Cypro, Graecia, Dodecaneso, Iran, Iraq, Libano, Palaestina, Syria, Transjordania, asiatica Turcarum republica et in Thrasia Turcarum dicioni subiecta.

II. — Quare in praefatis regionibus non solum pro fidelibus ritus orientalis, sed etiam pro fidelibus latini ritus eorumque hierarchia, ope-

ribus, institutis, piis societatibus, eadem Sacra Congregatio omnibus facultatibus potitur, quas aliae Congregationes pro fidelibus ritus latini extra illa territoria obtinent, incolumi tamen iure Congregationis S. Officii, ac integri manentibus quae huc usque reservata sunt. S. Congregationi de disciplina Sacramentorum, S. Congregationi Sacrorum Rituum, S. Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus ac Sacrae Paenitentiariae.

Quoad fideles ritus orientalis, extra praefatas regiones commorantes, firma manet in omnibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali competentia. Quare ei reservantur omnia cuiusque generis negotia, quae sive ad personas, sive ad disciplinam, sive ad ritum orientalem referuntur, etiamsi sint mixta, quae scilicet sive rei sive personarum ratione Latinos quoque attingant; eique pro his fidelibus omnes facultates atttributae sunt, quae ad alias Congregationes pro fidelibus ritus latini pertinent, salvo semper iure Congregationis S. Officii et integris manentibus quae huc usque reservata sunt S. Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus et Sacrae Paenitentiariae.

Haec Sacra Congregatio controversias dirimit via disciplinari; quas vero ordine iudiciario dirimendas iudicaverit, ad tribunal remittet quod ipsa Congregatic designaverit.

EX EPISTULIS

AD R. P. NARCISUM DURCHSCHEIN, PRIOREM GENERALEM ORDINIS HOSPITALARII S. JOANNIS DE DEO, QUARTO EXEUNTE SAECULO AB EUISDEM ORDINIS CONSTITUTIONE.

„...Benegnissimus Redemptor, qui terrestrem vitam ducens in morbis correptos tot bonitatis Suae divitias effudit et, reapse pius Samaritanus, languida eorum membra ingentium quoque miraculorum virtute refovit, in Ecclesia voluit praestans huius misericordiae genus ad exemplum suum florescere. Quae virtus numquam satis mirande enituit in Joanne de Deo, Legifero Patre vestro, qui in Lusitania natus Hispaniam ac imprimis urbem Granatam rebus gestis exornavit. Incredibilis fuit illi suavitas morum, animi constantia, propensa et inclinis ad opitulandum voluntas; at praesertim in aegrotos divino ductus consilio cogitationes et curas sollertissime contulit, ut ipsis nec suavis vigilisque benignitatis officia, nec medicae artis praesidia, nec hospitarum apta spatia munditiesque deessent. Beatus vir qui intellexit super egenum et pauperem, fidei acie praeditus alte penetravit arcanum quod in iacentibus, languidis et moerore afflictis delitescit eosdemque consolans sibi persuasum habebat se diu noctuque adspectu, ore, medelis dolentis Redemptoris membris pietatis munera praestare".

II.

AD EXCMUM P. D. EDMUNDUM GLEESON, EP. MAILTLANDENSEM, DE CONVENTU EUCHARISTICO AC MISSIONALE EX TOTA AUSTRALASIA IN URBE NOVOCASTRENSI INEUNDO.

„... Illud enim miserentissimus humani generis Redemptor per sacram Eucharistiam persequi voluit, ut omnes in terris peregrinantes, vetere servitute reiecta, supernaturalem vitam habeant, et abundantius habeant. Nullum ergo validius efficaciusque ad animas Deo quaerendas auxilium excogitari potest, quam hoc divinae caritatis Sacramentum, quod merito omnibus est laudibus extollendum, eiusque cultus maximo ardore fovendus atque amplificandus".

Ex Actis SS. Congregationum

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

In generali consessu Supremae S. Congregationis Sancti Officii damnatus atque in indicem librorum prohibitorum insertus est liber, qui inscribitur:

Der Katholizismus. Sein Stirb und Werde. Von katholischen Theologen und Laien. Herausgegeben von Gustaw Mensching.

Ssmus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XI. resolutionem S. Congr. adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

SACRA CONGREGATIO SS. CONCILII DIECESIUM X...

Eleemosynae Missarum binatarum

I. An expediat indultum apostolicum concedere ut parocho, in propria ecclesia Missam iteranti, tribuatur aliquod emolumentum ex reditibus legatorum. Negative, seu non expedire.

II. An sustineatur dispositio dioecesana vi cuius sacerdotes, Missam binatam applicantes, eleemosynam tantummodo dioecesanam Curiae tradere teneantur. Negative.

Quoad primum. Ex perantiqua Ecclesiae praxi vetitum semper fuit ut plures in die Missas celebrantes plura pro iisdem, praeterquam in die Nativitatis Domini, reciperent stipendia. Quapropter sine peculiari Apostolicae Sedis indulto nefas est parocho Missam iteranti emolumentum aliquod tribuere eo minus ex legatorum reditibus, excipe, si ipse legati fundator hanc facultatem fecerit.

Nec convenit indultum Apostolicum hunc in finem concedere. Parochus enim vi sui muneris tenetur curare, ut fideles diebus festis de praecepto obligationi Sacrum audiendi satisfaciant. Quodsi unius Missae celebratio huic obligationi ab omnibus implendae satis non sit, alteram celebrare ipse tenetur, nullo ad hoc percepto stipendio. Deest enim in casu titulus extrinsecus, cum agatur de parocho Missam iterante in sua paroecia in fidelium sibi commissorum utilitatem, quare iusta causa deest concedendi hunc in finem indultum apostolicum, eo vel magis quia haec retributio in casu ex legatorum reditibus esset summenda.

Nihil tamen vetat, quominus, peculiaribus rerum personarumque adiunctis perpensis, his parochis Episcopus retributionem aliquam ex aliis proventibus assignet.

Quoad secundum. Eleemosyna Missarum, nisi aliud certo constet, dividi vel separari nequit a celebratione et applicatione Missarum, sed quid unum constituit et distinctio ipsa a mente offerentium est prorsus aliena: „nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae vel ob maiorem laborem aut incommodum". Sed ex hoc ipso arguitur, quod Episcopus nequeat generali praescriptione sive synodali sive extrasynodali indiscriminatim praescribere omnibus sacerdotibus binantibus excessum communis eleemosynae vel eleemosynam ab offerentibus oblatam, quaecumque sit, percipere, dummodo Curiae tradatur eleemosyna synodalis.

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA

(Officium de indulgentiis)

DECRETUM

Conditiones ad validam Sacrarum „Viae Crucis" stationum erectionem ex novo statuntur.

Multiplicitas conditionum ad validitatem erectionis stationum „Viae Crucis" hucusque requisitarum haud raro occasionem dabat omisioni, ut plurimum involuntariae, unius vel alterius ex iis, et

consequenti exinde invaliditati erectionis eiusdem.

Itaque Sanctitas Sua abrogatis singulis conditionibus hactenus vigentibus, benigne decernere dignatus est ad validam stationum „Viae Crucis" erectionem sufficere ut sacerdos, idcirco rogatus, debita facultate sit praeditus, iuxta Decretum „Consilium suum persequens" datum die 12 Martii 1933; prorsus tamen decere, ratione praesertim ecclesiasticae disciplinae, ut singulis vicibus, nisi agatur de locis exemptis, accedat venia Ordinarii loci, ubi facultas exercetur, saltem rationabiliter praesumpta, quando Ordinarius facile adiri nequeat. Praeterea eadem Sanctitas Sua statuit ut omnes „Viae Crucis" erectiones, quacumque ex causa hucusque invalide peractae, huius Decreti vigore sanatae maneant.

Acta Officiorum

PONTIFICIA COMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

Responsa ad proposita dubia

I — De communicatione privilegiorum inter religiones

D. An verba canonis 613 § 1: exclusa in posterum qualibet communicatione, ita intelligenda sint ut revocata fuerint privilegia a religionibus ante Codicem I. C. per communicationem legitime acquisita et pacifice possessa.

R. Negative.

II — De excusatione a poenis latae sententiae

D. An metus gravis a poenis latae sententiae eximat, si delictum, quamvis intrinsece malum et graviter culpabile, non vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum ad normam canonis 2229 § 3 n. 3. R. Affirmative.

(Ex A. Ap. Sedis vol. II, III, IV, V.)

Immaculata Virgo et nostra tempora

„Ipsa conteret caput tuum"
(Gen.)

Animus catholicorum materialismo nostrae aetatis favens, maxime in relationibus ad clerum elucet. Antea bellum inferebatur non tam sacerdotibus quam Deo. Impetus simpliciter in religionem vel aliquam veritatem revelatam vertebatur, sacerdos vero in tantum telis tormentorum hostilium exponebatur, in quantum rem periclitantem defendebat. Nostri tamen temporis methodus proeliandi cum Ecclesia mutatur. Communistae enim omnesque athei hodiernos catholicos culta atque polita ratione excellere intellegunt. Quapropter impetus hostium in aliam partem dirigitur, quae est vita socialis necnon ethica catholica. Qua in re athei sacerdotem tanquam expilatorem ostendunt egestate aliorum seipsum pascentem, tanquam personam inutilem et

saepe a rectis moribus discrepantem. Turbarum hominum velut patrocinium suscipiunt, easque a sacerdotibus defendunt, et quando opus est, ut patroni sacerdotum in episcopos invehuntur. Quam dolosa sit igitur haec actio, nemo est quin videat, attamen multos catholicos hoc fugit. Inde sequitur spiritualis disturbatio, forsan non completa, quae tamen religionis vim in eorum vitam magnopere labefactat. Quo fit, ut Ecclesia vim educativam in eos revera plene non exerceat. Sunt igitur hodie turbae, quae se catholicas sentiunt, singularem tamen et sibi proprium in modum.

Catholici coaevi maturitatem quidem adepti sunt in ordine naturali – non vero in vita morali relate ad ea quae S. Paulus de corpore Christi mystico praedicabat. Profundius attamen ad proprios fines percipiunt dogma Ecclesiam esse coetum omnium fidelium, sed in hoc finem invenit eorum scientia quia agitatione communistarum et atheorum seducti, non multum attendunt primatum cleri in corpore Christi mystico i. e. in Ecclesia.

Ex quo sequitur, ut sacerdos nequeat plenissime certus esse de constantia hodiernorum fidelium in rebus fidei. Hodie zelo ardentes, Ecclesiae dediti, cras adhaerebunt iis, quorum emblema est malleus cum falce vel stella quinque angulorum. Una cum ardenti, ut cuipiam videri potest, pietate, remanet in mente coaevi hominis locus superstitioni, quam complementum esse censet unionis cum Deo. Quinam ex tam inconstanti voluntate profluant effectus evidenter patet.

S. Paulus, ardens Christi assecla, Eique toto corde subiectus querebatur: „Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis". At vero, cum idem sanctus Apostolus vi amoris erga Crucifixum, Cuius Nomen semper in ore gestabat, potuit gloriando attestari: „Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem" — tum hodiernus homo virtute orbatus amoris, gentilem poëtam sequendo, compellitur dicere: „Video meliora proboque, deteriora sequor".

Homines nostrae aetatis temeritate sua protoparentes in memoriam revocant. Historia vitae pravorum catholicorum est iugis iteratio perniciosi facinoris Adami et Hevae.

Si tamen in memoriam lapsum revocamus protaparentum, ideo solum hoc facimus, ut in fundamento huius facti melius resplendeat persona et missio Immaculatae, quae initium sumpsit in terra eo tempore, quo peccatum. Unde S. Ephraem, qui utitur hac comparatione, concludit: „Ambae purae, ambae simplices, Maria et Heva sibi ex adverso respondent, altera mortis nostrae, altera vitae causa fuit".

„Heva – argumentatur Episcopus Prohaska – secuta est serpentem et praevericata est. Vitam iucundam laetitiamque perquirebat, ideoque tandem, prout spiritus malignus ipsi suggerebat, humo adhaesit".

Quod proinde symbolum est catholicorum superborum, qui nimbo, uti aiunt, culturae irradiati cum quadam rebellione se gerunt contra Ecclesiam, quippe quae, eorum sentantia, prosperitatem ipsorum impediat.

„Mulier coelestis in aliam partem se convertit, scilicet ad vitam seriam, quae exsuperat omne tempus ac sensus et est super terram et est amicta spiritu, pulchritudine ac virtute".

Quod symbolum fit insimul veri catholicismi, Pius Papa his verbis in Bulla „Ineffabilis" exponit:

„...ignitis maligni telis lateret, et pulchra natura ac labis prorsus omnis nescia, tamquam aurora undequaque rutilans in mundum prodiret in sua Conceptione Immaculata".

Quapropter Maria nuper mundo apparens haec solum fata est: „Ego sum Immaculata Conceptio". Quod sufficere debuit. Et in his verbis scaenam illam ex paradiso reproduxit Immaculata, suaeque missioni in diebus nostris ingentem praebuit vigorem: „Ipsa conteret caput tuum".

Praedicta olim inter Mariam et mundum diabolico more viventem distantia-quaeque peccati originalis sequela est - a promulgatione dogmatis Immaculatae Conceptionis, praesertim nostris temporibus perspicua fit. Mariae igitur verba „Ego sum Immaculata Conceptio" signum esse datum ad pugnam malo inferendam, apparitiones Lapurdi testantur, permultaque demonstrant miracula, quae ab Immaculata patrantur.

Nimium terrae addicti hodierni catholici, nimiumque terrena sapientes, percipere non possunt id quod omnia terrena transcendit, i. e. Immaculatam – ideoque dulcissima haec Mater attrahit eos ad se miraculorum eloquentia, et iubet suam in permultis vitae nostrae similem intueri vitam ideoque tam allicientem, et ope divinae gratiae peccatorum frangit corda, magis sanctificat bonos.

Inde dicere possumus Immaculatam proximam esse Deo, nos vero Immaculatae ideoque per Eam Ipsi Deo. Deus Ipse dedit hanc albam scalam et vult, ut per eam ad se perveniamus – ut Immaculata ad suum maternum pectus nos tenens ad Deum perducat.

Cumque per sodalitatem cui nomen „Militia Immaculatae", viginti annis cultum perfectae dedicationis sui ipsius Virgini Immaculatae inter fideles propagemus ab iisque activitatem in vita religiosa exposcamus, indicare valemus, qualem in ipsos vim exerceat Immaculata Virgo, qualique cura haec Mater prosequatur ista non semel contemptissima societatis humanae membra. Ab ultra 500 milibus lectorum „Militis Immaculatae", qui in lingua polonica ad propagandum Immaculatae cultum quolibet mense typis editur, in circa 2.000 epistolis, Immaculatae Virgini pro variis beneficis gratiae aguntur, necnon in circa 3.000 epistolis, ut ad Immaculatam in variis causis oratio fiat, supplicatur.

Restat igitur tantummodo, ut rem finiamus verbis S. Anselmi Cantuarsiensis: „...Ergo sine Te nihil pietatis est, nihil bonitatis, quia Mater virtutis es et bonorum omnium".

S.

De Immaculata B.M.V. Conceptione relate ad omnium gratiarum mediationem

Omnibus nobis notus est artissimus ille nexus inter veritates doctrinae christianae. Dogmata enim catholica altera ex alteris gignuntur atque vicissim se perficiunt. Qua in re exemplo esse possunt patres Concilii Ephesini, qui unice catholica doctrina de hypostatica unione naturae divinae et humanae in Persona verbi nixi, divinam Mariae Maternitatem proclamaverunt.

Cognita enim inter Jesum eiusque Matrem Mariam relatione, orta est fides catholica, quae Matrem Salvatoris ab originali culpa immunem esse tenet. Catholici ne cogitare audebant Mariam, etiamsi uno tantum temporis momento in servitute diaboli mansisse. Etiam ex praeclara B.M. Virginis missione eiusque ineffabili cum Spiritu S. coniunctione (Immaculata Conceptio) admiranda inter fideles orta est spes recipiendi suavem Mariae tutelam.



Iamque perspicuum est nostram in oeconomia redemptionis relationem ad Mariam Corredemptricem et gratiarum Dispensatricem non eadem ab initio perfectione perceptam esse. Nunc tamen temporis fides nostra in B. M. Virginis mediationem in dies magis magisque crescit. Quo brevi articulo ostendere volumus, quid dogma de Immaculata B. M. Virginis conceptione dogmati de Mariae mediatione inferat.

Opus redemptionis immediate a Secunda Dei Persona – Jesu Christo, qui suo nos sanguine reconciliavit Patri, Eiquo pro Adae peccato satisfecit atque gratiam tum sanctificantem tum varias gratias actuales et ius ingrediendi regnum caelorum nobis meruit, dependet.

Attamen etiam Tertia Persona SS. Trinitatis, eo quod animas hominum virtute redemptionis a Christo peractae in Dei templa transformat et in filios Dei nos adoptat atque haeredes regni caelestis nos facit, particeps est huius operis, secundum illud S. Pauli effatum: „Ab-

luti estis, iustificati estis in nomine D. N. Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri".

Usque in animas nostras descendens Spiritus Sanctus, Deus — caritas, nos cum reliquis duabus Personis coniungit. Qua de causa in epistola ad Romanos S. Paulus scripsit: „Quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus S. postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus".

Etiam in epistola ad Corinthios distributionem gratiarum a voluntate Spiritus S. dependere dicit: „Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae... alii gratia sanitatum in eodem Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia... Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus".

Sicuti tamen Jesus ad immensum suum erga nos amorem manifestandum, Deus-Homo factus est, ita et Tertia Persona, Deus-Caritas aliquo signo externo suam apud Patrem et Filium mediationem ostendere voluit. Quod signum Cor Immaculatae Virginis esse ex dictis sanctorum constat praesertim, qui Mariam Sponsam S. Spiritus habent. Unde ad mentem Patrum B. Ludovicus M-a Grignon ita concludit: „Spiritus S. qui fecunditate in Deo caret i. e. a quo nulla divina Persona procedit, per Mariam, quam sibi Sponsam asumpsit, factus est fecundus. Cum Ea et in Ea et per Eam praeclarissimum opus producit i. e. Verbum incarnatum est: „Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi". Attamen hoc non est intelligendum Beatam Virginem Spiritui Sancto fecundidatem attulisse, quam Ille, qua Deus, sicut Pater et Filius habuerit, etsi — nulla enim ab Eo Persona divina procedit — eam actu non manifestaverit, sed Spiritum Sanctum mediatione Mariae, qua non necessario indiguerit, potius ad suam fecunditatem manifestandam uti voluisse in efficienda per Eam et cum Ea humana natura Christi".

Spiritus Sanctus etiam post Christi mortem omnia in nobis per Mariam operatur. Verba enim Creatoris ad serpentem de Immaculata effata: „ipsa conteret caput tuum" — secundum doctrinam theologorum sine limitatione relate ad tempus intelligenda sunt.

Nova corporis Christi mistici praedestinatorum membra usque ad finem mundi formare ad Spiritum Sanctum pertinet. Sed ut Beatus Ludovicus Grignon demonstrat, hoc opus cum Maria, in Maria, atque per Mariam perfici.

Ad quam conclusionem id est Spiritum Sanctum per Mariam agere, adducimur textibus Sacrae Scripturae verbisque Sanctorum, qui optimi sunt Sacrae Scripturae interpretes:

„Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis... Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis... Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem... Ille me clarificabit..."

Beatus L. Grignon verba eiusdem fere sensus sed de Immaculata affert: „Mariam adhuc non cognovimus, qua de causa etiam Chri-

stum, ut oportet, nescimus. Si tamen — quod nihilominus fieri debet — Christus cognoscetur Eiusque regnum super mundum adveniet — hoc solummodo effectus erit cognitionis Mariae atque Eius super nos regni; Maria enim quae Jesum pro salute mundi prima vice parturiit, nunc ad Jesum clare cognoscendum aptos nos reddit".

Ut igitur secunda Dei Persona incarnata sub nomine „semen mulieris" apparet, ita etiam Spiritus Sanctus per Immaculatam Virginem, servata tamen uniuscuiusque eorum Persona, arctissime secum supra omnem nostrum modum intelligendi coniunctam, suam in opere redemptionis comunicationem externe manifestat. Aliter est igitur quam in hypostatica duarum naturarum divinae et humanae in unica Christi Persona coniunctione, quod tamen nihil obstat, quominus actio Mariae perfectissima actio Spiritus Sancti sit. Maria enim, utpote Sponsa Spiritus Sancti, ideoque supra omnem creatam perfectionem elevata, voluntatem in se habitantis seque a primo instanti conceptionis Sancti Spiritus omnimode explet.

Quibus una simul collatis concludere licet, Mariam, qua Matrem Jesu Salvatoris, factam esse Corredemptricem generis humani, qua Sponsam Spiritus Sancti participare, in distributione omnium gratiarum. Unde cum theologis dicere valemus: „...sicut prisca Eva veris actibus liberis ad nostram ruinam est operata, in quam vere influit, ita Maria veris actibus suis ad reparationem concurrit... in hoc iam habetur apertissime vera ac proprie dicta mediatio". [1])

Ultimis praesertim temporibus Immaculatam, Sponsam Spiritus Sancti ut nostram Mediatricem conspicimus.

Anno enim 1830 Immaculata V. Sorori Catharinae Labouré apparuit. Ex narratione huius novitiae cognoscimus finem apparitionis Mariae fuisse, ostendere Immaculatam suam Conceptionem suamque apud Deum mirificam potentiam: „Sanctissima Virgo suos in me vertit oculos et simul vox a me audita est: — Hic globus mundi omnes homines unamquamque personam repraesentat. Et insuper: — „Ecce gratiarum symbolum, quas in omnes me invocantes infundo".

Postea facta est ovata circum Sanctissimam Virginem imago in qua aureis syllabis sequens invocatio inscribebatur: O Maria sine labe originali concepta, ora pro nobis, qui ad Te confugimus. Eodem momento vocem audivi: Exprimite iuxta hoc exemplar numisma; omnes: qui id portabunt, multis gratiis afluent.

Lapurdi Immaculata Virgo omnes homines ad poenitentiam agendam incitabat; denique, ut nobis veluti fontem auxilli ostenderet „Ave Maria" recitabat. Ab hoc momento Immaculata partes nostrae Mediatricis Lapurdi agere coepit: Aegrotos invitat, homines colligit claudos ac debiles, ut eos sanet et nostram ab Ea dependentiam in vita naturali ostendat.

Aegrotos in anima i. e. incredulos et peccatores corde obduratos suaviter attrahit et in eorum cor vitam supernaturalem infundit ut

---

[1]) De Mediatione universali B. M. V. J. Bittremieux

eos de sua potestate largiendi nobis vitam supernaturalem convincat.

Praeterea ad hoc imprimis attendendum est, miracula a Christo in loco (Lapurdi) ab Eius Matre electo patrari.

Omniaque, quae Lapurdi a B. V. Maria perficiuntur, testimonium veritati verborum S. Petri Damiani dant: „Per mulierem infusa est maledictio terrae, per mulierem redditur benedictio terrae" atque horum S. Augustini: „Decipiendo homini propinatum est venenum, per feminam reparando homini propinetur salus per feminam".

Quod igitur a S. Bernardo verbis, id factis a Immaculata Virgine commendatur: „Sic est voluntas eius qui totum nos habere voluit per Mariam". **P. M.**

Quomodo communistae aggrediantur ad conciliandos sibi viros doctos et eruditos?

Assidui conatus gubernii S. S. S. R. in concilianda plebe signis communismi auro atque bene ordita ratione agendi parum profecerunt, brevique ad persuasionem ventum est, non esse aptam hanc viam, quae ad disseminandum communismum duceret. Quod tamen ut obtineatur id agendum esse a gubernio Russiae statuitur, ut etiam viri docti et eruditi, quippe qui maximam vim habeant im vitam civilem, socialem, religiosam suorum populorum, ad communismum alliciantur. Quam ob rem consilium executorium Kominterni praecipuam esse rationem propagandi communismi voluit inter homines doctos et cultos, i. e. inter professores universitatum, inter magistros gymnasiorum atque scholarum oppidanarum.

Et sane id genus conatus communistarum irritum fore putares. Quid enim? Conditionesne in quibus homines culti in Russia vivunt non possunt sufficienti exemplo esse, quominus hoc experimentum in aliis gentibus instituatur? Spatio enim viginti annorum communistae in Russia supra decies centena milia virorum cultorum trucidaverunt, sorsque eorum, qui remanserant non est, cui invideri possit. Recipiunt quidem meritorum insignia et publice sustentantur attamen omnes eorum reditus denuo fisco obveniunt specie officiorum et munerum, quae fisco praestari solent. Praeterea etsi officio dediti sunt nec minima signa dant repugnantiae atque resistentiae gubernio, nihilominus tamen bene nummatis et opulentis aequiparantur.

„Homo cultus in Russia — scribit quidam, qui vitam in hac terra bene cognovit — cum cuniculo caveae incluso conferri potest, cui solummodo hoc solatio esse potest, in suo corpore memorabile experimentum exerceri, quod ad novas inventiones ducat. Supra quae haec tria tantum somniare potest, ut quantum fieri potest, citius moriatur, ut ab aliis cuniculis mortis periculo eripiatur, ut denique eidem experimento omnes quicumque sint in orbe terrarum cuniculi aequali modo dorsum praebeant".

Quae quidem in maiorem partem civium Russiae natu grandiorum cadunt et fere omnes viros cultos attingunt.

At omnes incolae occidentalis Europae meminerint minarum Trockii, qui affirmabat, in gentibus bene moratis atque bene constitutis multo maiorem numerum virorum cultorum e vita tollendum esse, quam quod in Russia factum esset, ut infima plebs ditioni communistarum subigeretur.

Si quid autem communistae in conciliando sibi flore virorum cultorum profecerunt, id peculiaribus conditionibus attribuamus necesse est. Bellum enim mundiale animos etiam constantissimos de statu suo deiecit. Pace autem pacta non omnes dissensiones compositae sunt, unde loco quietis et ordinis maxima confusio variarum internationalium factionum paci faventium coorta est, quae tempore belli ortae, eo finito remanserunt, attamen quaestioni, quomodo communis securitas et pax in tuto collocaretur, solvendae pares non fuerunt. Cui conquisitioni novorum modorum convictus gentium inter se purpureus flammae ordor in oriente finem posuit.

Cumque alteri crederent se verum et salutem in philosophia eurasianismi vel in similibus doctrinis invenisse, alteri promissionibus Marxi obsecuti sunt, non distinguentes falsum et dolum doctrinae specie tenus humanitati faventi.

Cui ut alliciantur viri doctri in terris totius mundi internationales societates institutae sunt, quae speciem offerunt independentium, reapse vero imperio Kominterni subduntur. Quarum maioris momenti sunt:

W. O. K. S. (Wsiesojuznoje Obszczestwo dla Kulturnoj Swiazi s Zapadom), id est societas commerciis litterariis cum Occidente habendis dedita.

M. O. P. R. (Mieżdunarodnoje Obszczestwo Pomoszczci Borcam Rewolucji) i. e. Internationalis Societas adiuvandis rerum novarum molitoribus destinata. Habetur quidem philanthropiae studens, est tamen periculosissima ob propagatam eversionem rerum politicarum.

I. T. E. (Internationale des Travailleurs de l'Enseignement) i. e. internationalis societas operariorum in campo litterario, cui singulari curae sunt magistri scholarum.

Internationalis societas amicorum S. S. S. R. quae unice florem virorum cultorum congregat et participat in omnibus publicis et secretis coeptis Kominterni.

Internationale consilium scriptorum partibus popularibus faventium.

R. U. P. (Rassemblement Universel pour la Paix) i. e. internationalis societas paci tuendae sacra, qua societate anno 1935 condita Kominternus hac mente utitur:

1) ut fautores variarum partium ope communis doctrinae coniungantur, quo magis magisque vis atque penetratio communismi in societatem augeatur,
2) ut partes nationalismo studentes, acrius impugnentur,
3) ut omnes civitates praeter gubernatas a gubernio communistarum, dearmentur atque belli apparatus sufficienti numero comparare desistant,
4) ut imperium militare in singulis civitatibus communistis contingat,
5) ut denique conditiones ad violentam rerum publicarum eversionem accommodatae praeparentur.

Internationalis societas atheorum, quae ab 1936 a. a Kominterno recta consilia a Iudaeo Gubelman audacter structa in rem perducere conatur, qui

1937 a. „omnes ecclesias oceano communismi commutandas esse“ affirmavit. Quod ut accelerari possit, haec prorontur:

1) ut atheismus inter pueros et puellas propagetur,
2) ut cum partibus quae populari causae (volksfront) studeant et fascismum debellent communiter agatur,
3) ut etiam societates christianae praecipue vero catholicae ad impugnandum fascismum trahantur.

Praeterea aliae exsistunt societates communistarum sustinendis commerciis cum occidente deditae, inter quas recensere licet:

A) Medsantrud i. e. officium internationali coniunctioni populorum studens.
B) Rabis i. e. societatem operariorum in campo artis.
C) Sowkino Moscvae cum pluribus legaturis in provinciis.
D) Inturist qui communiter agit cum W. O. K. S.
E) Societates litteris, humanitati, palaestrae deditas etc.
F) Societates et consilia internationalia prout se offert occasio institutas, ut est: a) Societas iuribus hominis et civis defendendis, quae iam pridem existebat, nunc a communistis regitur, b) Societates „Hands of China“, c) „Hands of Russia“, d) „Comité pour la Syrie“, e) „Comité pour le Maroc“, etc. etc. **Mil.**

Aliqua e terra Russiae

TEMPORA FIDEI VENIENT IN RUSSIAM

Ad evangelisandam omnibus Russiae civibus fidem catholicam, Romae erectum est a S-mo Pontifice Collegium Russicum. Ssmus enim Pater spem fovet tempora verae fidei Russiae ventura esse.

Certum est — in audientia Collegii Russici dixit Ssmus Pontifex — fore, ut dies veniat, in quo res gestae Russiae mutentur. Quando tamen tempora haec adventura sint, nescimus. In conspectu tamen Dei et in historico temporum decursu milia milium annorum nihil valent.

VOX POPULI RELIGIONEM POSTULAT

Maxima interna oppositio gubernio communistico atque materialis miseria in Russia pedetentim violentam conversionem populorum contra OGPU praeparant. Persecutio elementorum regimini communistico oppositorum cum eadem vehementia in Ecclesiam catholicam omnesque varias sectas vertitur.

Adhuc paucae ecclesiae nondum clausae exsistunt, quas praesertim Moscvae tanta multitudo populi frequentat, ut debiliores periculo mortis exponantur. Hora quarta primo mane ecclesiae plenae sunt devotorum tum iuvenum tum senium, qui etiam ampla corona extra Ecclesiam genuflectunt atque missae adstant et reverenter orant.

Licet ecclesiae et fidei leges et inhumana praecepta obstant, tamen ad comissariatum rerum internarum gubernii quindecim milia postulationum, ut comunitatibus libertas religionem profitendi concederetur, illatae sunt. Quia autem unaquaeque postulatio saltem viginti nomina habuit, ergo in fine anni 1937 trecenti millia civium fidem suam externe professi sunt.

Nunc circa duodetriginta millia communitatum sine sacerdotibus extistunt. Anno 1936 a supradictis communitatibus vectigal in summa 145 millena milia lib. russ. solutum est. Quae summa pecuniae rei militari augendae destinatur.

QUAE SIT VITA RUSSIORUM RELIGIOSA, QUI IN AGRIS VITAM AGUNT

In ephemeride ab iuvenibus communistis lecta, quae „Komsomołskaja Prawda" dicitur (die 1 Martii h. a.) relatio cuiusdam communistae nomine Mariniani exaracta est, qua legimus in pago, qui Agajawszyna appellatur, ad Smoleńsk duodeviginti liberos, qui nondum decimum quintum annum consecuti, a quodam sacerdote baptizatos esse et mehercule! haec omnia parentum consensu facta esse. Cum autem baptismi ritus perageretur, idem sacerdos versus e Sancta Scriptura petitos recitabat, quod summam admirationem multorum audientium atque id spectantium commovit.

Denique huius relationis auctor praecipit, ut omnes magistratus animos cogitationesque suas diligentius in hos sacerdotes occulte agentes attendant, qui apud Russiae incolas magna auctoritate utuntur.

SACERDOTES UNIUSCUIQUE RELIGIONIS A COMMUNISTIS OCCIDUNTUR

Multi in Russia cuiuscumque religionis sacerdotes occulte adhuc vitam gerentes ad iudicium vocantur. Supremo tempore metropolita nisegrodiensis Teophan Tulakow, paucis cum ortodoxis sacerdotibus, occisus est. Insuper patricipes officii, cuius nomen litteris OGPU signatur vigilantissime omnium sacerdotum vitam inspiciunt.

QUEM AD MODUM QUIDAM ATHEUS CONCITATOR IN RUSSIA OCCISUS SIT?

In quodam Russiae oppido, quod Bernauł dicitur, in Siberia sito a duabus feminis quidam concitator Deum esse negans Eudemque ex rerum natura tollere cupiens, cui nomen Maszurin fuerat, interfectus est.

Quae quidem mulieres in ius vocatae palam confessae sunt se id fecisse cum dicerent se hoc modo ultas esse eum, qui causa dammationis sacerdotis fuit.

His in rebus a magistratibus publicis decretum est promulgatum, ut omnia schismalicorum templa in ipsa urbe supra commemorata locisque circumiectis longiore tempore includerentur, „ne iusta ira populi hoc facinore irati plus incenderetur.

QUID STALIN, RUSSIAE DICTATOR DE TEMPLIS CUIUSQUE RELIGIONIS CENSEAT?

Stalin, Russiae nunc moderator, cum antistites magistratusque officii, cuius nomen litteris G.P.U. signatur, hospitio exciperet, his verbis eos salutavit: Omnes sine ulla exceptione religiones inimicissimae sunt civitati Russorum ideoque regiminis sovietici est eas funditus tollere at magistratuum primum officium esto: omni ratione obstare ac impedire, ne vis et auctoritas servorum Dei apud populum sovieticum augeatur crescatque.

Nostra enim studia, quae id praecipue spectant, ut templa deleantur et omnes religiones Christianae extinguantur, non solum vi et armis continentur, sed etiam in his consiliis perficiendis felicitas summaque salus nostrarum republicarum posita est.

Haec quoque contentiones a nobis adhibitae ad inscitiam ignorantiamque summovendam maximam in partem valebunt.

Omnes porro sacerdotes delatores Trockistarum, qui ita appellantur et civitatis sovieticae sceleratissimi proditores exsistunt.

Quae cum ita sint omnibus id est curandum, ut omnis generis templa et delubra in terris Russiae sovieticae sita tantummodo documenta ac reliquiae — ita ut res in Musaeis positae — temporis praeteriti sint.

BONORUM ECCLESIASTICARUM RAPINA

Secundum OGPU relationes ecclesia ortodoxa (schismatica) ante revolutionem quatuor accademias theologicas, quinquaginta septem seminaria, centum octoginta quinque instituta pedagogica, quadringentas et unam superiores scholas parochiales atque triginta quinque milia et octingentas sextaginta sex scholas inferiores possidebat. Generatim ecclesia schismatica fuit in possesione 37.000 aedificiorum. Ex quibus quindecim milia et quadringenta post confiscationem a societatibus atheis occupatae sunt.

PROPOSITUM OMNES ECCLESIAS INTRA QUINQUENIUM DELENDI

In proximo quinquenio (ab a. 1938 ad a. 1942) communistae omnes ecclesias devastare proposuerunt. In specie: 2.900 ecclesiae, 63 monasteria, et 19 domus oratorii sub praetextu periculi ex eorum praesentia populo imminenti, solo aequabuntur; tantum, ut opera artis conserventur, permittitur.

CHRONICA

MISSIONES

Congregatio de Propaganda Fide ab 1922 a. 680 milia milium lir. ital. pro misionibus collegit. Maximi proventus e Civitatibus Confoederatis Americae septentrionalis obtenti sunt, secundum locum Gallia tenet. Sancta Sedes quinque milia milium lir. ital. insuper obtulit pro re misionum.

Quos sui laboris fructus missionarii ceperint?

Postremis decem annis, qui praeterlapsi sunt, missiones catholicae magnos in Africa centrali progressus fecerunt, scilicet: in parte Africae gallica numerus catholicorum ex 62 milia, usque ad 185 milia auctus est: in portugalica Angola ex generali numero incolarum 32 milia milium catholici sunt in numero 475 milia (ante decem annos 193 mil.) In Camerun (pars gallica) numerus catholicorum 309 milia attingit (antea 145 mil.) in parte Guineae hispanica catholici sunt in numero 78 milia (antea 25 mil.). In tota Africa centrali et in Congo Belgico numerus catholicorum (ultimo decennio) auctus est numero plus quam 1, 8 milia milium confessorum.

* * *

Brevi Pontificio die 8 ianuarii c. a. O. Fr. Min. Conventualium Missio Africana Ndola in territorio Rhodesiae Septentrionalis in Praefecturam Apostolicam erecta fuit; decreto vero S. Congregationis de Propaganda Fide, diei 4 februarii c. a., P. M. FRANCISCUS MAZZIERI, Superior istius Missionis, Praefectus Apostolicus eiusdem fuit nominatus.

ITALIA

Mirabilis Sanatio. In oppido Spezzi, quaedam mulier Assunta Ferrari iam quindecim annis abhinc gravi morbo implicita, nuper a Beata Virgine mirabiliter sanata est. Aegrota mulier ad Beatam Virginem de Montereno orans vocem audivit, quae ei in templum ire atque ibi duos cereos Immaculatae Virgini offerre iussit. Deinde ad gratias Mariae de Montereno agendas profecta est.

BELGIUM

Quomodo Quidam vir doctus vestem Monachi sumpserit. Jules Havet, profesor Universitatis Lovaniensis, septuaginta iam annos natus in ordinem religiosum ingressus est, ut aenigmatibus medicae artis missionariae vacaret. Qui

quidem doctus senex semper eximiae pietatis fuit.

GALLIA

Christus via. Catholica discipulorum societas simul cum invenibus bonarum artium studiosis, litteras ediderunt, quibus Galliam non nisi fortem et stabilem in fide catholica suam in gentibus missionem expleturam esse contendunt. Quam ob rem ad vitam secundum Christi doctrinam gerendam omnium animos advertunt. Praeterea omnes iuvenes studentes hoc anno in Chatres totos se tutelae Mariae reddere proponunt.

* * *

Catholicorum in Gallia condita est societas, quae id spectat, ut basilicam Sepulchni Christi restauraret.

Altissima statua omnium, quae ad hunc diem exstructae sunt, in Francogallia ponetur.

In oppido Galliae, cui nomen est Mas Rillier, quod aliquot milibus passuum a Lugduno abest, brevi tempore statua B. Mariae Virginis altitudinis 32 m 60 cm, pondo autem 1.500 tonnarum ponetur.

Hoc tam magnum atque excelsum signum patrim ex ferro partim ex caemento efficietur.

In basi eiusdem monumenti sacellum singulari artificio perfectum constituetur, quo Missae sacrae peregrinatoribus religiosis celebrabuntur.

Quam immane et ingens hoc signum futurum sit, numeri, quos afferimus, docere nos possunt.

Ac primum quidem altitudo capitis illius simulacri 3 m excedet, latitudo bracchiorum 8 m.

Solum signum basi excepta 440 tonnis pondo constabit. Ad hoc monumentum exstruendum 665 m^3 caementi cum calce mixti et 35 tonnae ferri sumentur.

Hic commemorare nobis liceat haec adhuc notissima signa cultui Divino sacra fuisse: Simulacrum Christi Andibus positum altitudinis 30 m, statua Christi locis, quae Chamonix vocantur, cuius altitudo 21 m est et signum Madonnae Puy locis, quae sunt in Francogallia 16 m altitudine; adde etiam illud signum extructum esse ex metallo, quod anno 1855 Galli in urbe Sebastopolis tormentis bellicis ceperunt.

Auxilium templis bello deletis fertur. Cura societatis, quae „Ligue d'Union Latine" vocatur, in Sahara prope tumulum pii missionarii patris de Foucauld pulchra aedes erecta erat, quam consecrandi gratia complures Ecclesiae Catholicae antistites ex Galia venerunt. Nunc autem illius societatis participes templis Hispaniae bello deletis auxilium ferre coeperunt, dum initii faciendi gratia decies centena milia francorum Cardinali Goma, Hispaniae Primati, obtulerunt. Praeterea Sedis Apostolicae Legatus Hispaniensis Reverendissimus Antoniutti Archiepiscopo Saragossae 25 milia pesetarum templis capellisque illius dioeceseos reficiendis, quae a communistis deleta sunt, obtulit.

ANGLIA

Petitio de canonisando Papa Pio X. Nomine gentium, lingua anglicana utentium. Cardinalis Canali, secretario status petitionem de canonisando beatissimo Papa Pio X tradidit. Quae petitio in duobus scripta voluminibus, pergamino aureo amplecto munita, variis imaginibus decorata est. Actioni huic P. Caroll Abbing praefuit, cui fini praeterito anno de vita et rebus Papae Pii X. 187 orationes habuit.

POLONIA

Congressus societatum contra alcoolissmum. Diebus ante nonas Majas nationalis Congressus societatum contra alcoolismum celebratus est. Plures sacerdotes, medici et iuvenes et alli congressui interfuerunt. Alcoolismum in propagando communismo multum prodesse omnes assentiebant. Propositum est abstinentiam a potibus alccolicis et liquora non inebriativa (sine alcoolo) propagare. Denique catholica societas abstinentium ab alcoolo una cum Actione Catholica atque cum consensu societatum charitativarum et Congregationum omnium religiosorum agere proposuit.



Christiana societas mercatorum in Polonia peregrinationem ad locum omnibus Polonis notum ac praeclarissimum ex miraculosa imagine B. M. Virginis, Reginae Poloniae idibus Maii fecit, eo fine, ut hac solemni ac religiosa manifestatione Reginae Caelesti suam professionem offerret atque omnes societati adscriptos in exsequendo suo munere Christi doctrinam impleturos esse manifestaret. Hac occasione perpulchre elaboratum signum (ut supra) Mariae oblatum est.

Quinque et viginti iam anni praeterlapsi sunt, ex quo E. Em. Archiepiscopus Cardinalis Al. Kakowski episcopus consecratus est. Eminentissimus Cardinalis noster Sedem Archiepiscopalem Varsoviensem obtinuit temporibus reipublicae Polonorum gravissimis. Sed eo clarius istis temporibus Eius summae virtutes cognoscuntur: nam omnem operam adhibebat ut saluti civium atque Ecclesiae fidelium quam plurimum provideret. Eius quoque cura, auspiciis atque etiam liberali sumptu per viginti quinque annos, quibus gravissima sua officia diligentissime praestat, 267 aedes sacrae atque cappellae exstructae, tum 50 novae parochiae, ex quo numero 20 Varsoviae solae erectae sunt. Deinde in capite Polonorum magnificentissima aedes rebus Actioni Catholicae sacra, est aedificata. Quam ob rem Sanctissimus Dominus N. P.P. Pius XI, litteras manu propria scriptas nostro Eminentissimo Cardinalli misit, quibus omnia opera ab Ipso perfecta, summis laudibus effert.

GERMANIA

Solis liberis facultas rerum divinarum scientiae repudiandae data est!

In multis Germaniae urbibus Hitlerici magistratus parentibus persuadere conantur, ut ipsorum liberi „ultro" scientiam rerum divinarum abiciant.

Ne nuda nos eludant, liceat nobis vera testimonia afferre.

In actis publicis Bavariae, quae Bayerischer „Regierungsanzeiger" vocantur, legitur Ministerii Instructionis Publicae Bavaricae de religiosa institutione puerorum puellarumque repudianda: penes solos parentes esto a scholae antistitibus postulare, ut liberi religiosa institutione vacent, si puer puellave nondum vitae annum duodecimum sit consecutus; si puer puellave duodecim maior, quattuordecim autem annis minor sit — haec facultas parentibus conceditur liberis tamen assentientibus. Iuventuti soli liberum iudicium in institutione religionis suscipienda aut repudianda praestat, si extra aetatis annum decimum quartum discipulus discipulave excesserit.

Archiepiscopus Coloniae ut sacerdotes suae Archidioecesis supplicationes pro Ecclesia faciant cohortatur.
Archiepiscopus Coloniae, urbis in Germania sitae, Cardinalis Schulte litteras ad sacerdotes Archidioeceseos suae misit, quibus eos hortaretur, ut communiter Sanctissimum Sacramentum venerarentur adorarentque.

Qua in epistula haec Archiepiscopi verba scripta leguntur: „Omnes nostrae Archidioeceseos sacerdotes inter se consocient oportet in communi eaque solemni adorationis hora, ut imo corde Deo pro Sanctissima Eucharistia instituenda gratias agant et pro plurimis conviciis atque blasphemiis nunc in Salvatorem in Sanctissimo Sacramento ab-

ricula imminent, tum praecipue iuventuti auxilium atque praesidium implorent et assidue pro felicitate nostri populi et patriae tum postremo pro pace et libera S. Ecclesia Catholica preces adhibeant.

Haec enim communes supplicationes et orationes novas vires ad labores in Dei Regno terrestri suscipiendos sacerdotibus a Deo impetrabunt".

Quisnam a Germanis liber libentissime legatur? Non Hitleri liber, qui „Mein Kampf" inscribitur, maxime in Germania legitur — ut quispiam putaverit — sed Scriptura Sacra, quamquam illud ex officio omnibus civibus ad legendum commendatur, immo vero gratuito pauperibus distribuitur. Ac primum quidem in Bavaria — Virtembergia atque Borussia 165 millia exemplarium Scripturae Sacrae plus typis expressa sunt exemplaribus libri, qui „Mein Kampf" dicitur.

Solemnis processio. Solemni sacrorum pompae, quae hoc anno Coloniae media nocte (semel anno!) celebrabatur, 14 milia virorum interfuerunt.

ROMANIA

In Romania plusquam trecies centena milia in generalem civium numerum, qui viginti milia milium attingit, sunt catholicorum; in hoc graeco — catholici circiter duo milia milium, reliqui vero sunt romano catholici: Germani, Hungarii, Polonii, et alii. Catholici etiam nunc, sicut ante bellum mundiale in suo interno regimine libertate gaudent. Immo fides Christiana in Romania elementum fundamentale et productivum totius regni habetur. Ut ex constitutione regni rumenici nuper dedita et approbata constat, in senatum non solum patriarcha ecclesiae schismaticae sed etiam episcopi catholici ex nominatione vel electione legi posse. Quapropter dignitate senatorum in Romania Metropolita unitarum et Archiepiscopus latinorum iam a viginti annis fruuntur. Insuper acta status civilis tum vim legalem accipiunt, quum post recepta sacramenta sive in ecclesia schismatica sive catholica peraguntur.

LITHUANIA

550 anni sunt praeterlapsi, ex quo Lithuani religionem Christianam secuti ac professi erant. Quingenti quinquaginta anni hoc anno mense Iunio — intermittentur temporibus, quibus Lithuani doctrinam Christianam professi sunt. Quam ob rem Papae Pii XI. Legatus quosdam antistites episcoporum Lithuanicorum Romam adire amicissime iussit.

HISPANIA

Novum decretum de connubio a nationalis Hispaniae moderatoribus editum est.

Hoc in decreto singulae leges, quae anno 1932 a regimine rebus massonum et communistarum studente latae nunc magna ex parte commutatae sunt; ac primum quidem divina matrimonii in Ecclesia catholica facti natura est confirmata. Satis enim inter omnes constat ista praecepta anno 1932 sub regimine atheistico edita omni in parte cum legibus, quae tum dominabantur, arte coniuncta esse. Namque secundum illas leges concessum erat matrimonium dissolvi, si utra coniugum pars haec mutua consensione declarata postularet. In hoc autem decreto divortia multo secus atque antea tractantur: nam perscriptum est, ut matrimonium, quod in Ecclesia Christiana a sacerdote factum esset, id in omni iure civili dicundo iustum ac ratum haberetur.



Nuntius Apostolicae sedis in nova Hispania creatus est Mgr. Gaetano Cicognani, qui supremo tempore in Australia eodem munere fructus erat.

SUMMARIUM

Ab Administratione

„Miles Immaculatae" hoc anno tertio quoque mense typis editur.

Pro expensis editionis atque expeditionis quidquid oblatum erit accipiemus. Norma tamen praetii annuae subnotationis 0.65 fr. helv. (4 lirae ital.) habenda est. Praetium unius fasciculi: 0.16.5 fr. helv. (1 lira italica). In Polonia praetium annuae subnotationis 0.50 zł — unius fasciculi 0.12 zł.

Omnibus tamen, qui praesertim in terris missionum nec minimam oblationem dare queant, „Miles Immaculatae" libenter gratis mittetur; qui autem, quo efficatius evolutionem „Militis Immaculatae" foveant, plus offerre desiderant, id gratissimo animo acceptum iri, sciant.

„Miles Immaculatae" in divina per Immaculatam Virginem providentia futurae evolutionis spem ponit.

Oramus insuper omnes, qui a „Milite Immaculatae" aliquid boni provenire posse sperant, ut inter alios periodicum istud propagent.

In sequentibus nationibus oblatio nostro nomine mitti potest: **America Meridionalis.** Banco Polaco, Polska Kasa Opieki, BUENOS AIRES, c: Tucuman 466, Konto Nr. 10.300. **Belgium:** Postcheckambt BRUSSEL Nr. 324554. **Cecoslovacchia:** Postovni sporitelna PRAHA Nr. 59606. **Dania:** Postgirokontoret KOBENHAVN Postkonto Nr. 14924. **Galia:** Bureau de Chèques PARIS Nr. 1655.93. **Hungaria:** Scheckkonto BUDAPEST Nr. 13.899. **Jugoslavia:** Caisse d'épargne postale BEOGRAD Nr. 66-579. **Latvia:** Bureau de Chèques postaux à RIGA Konto Nr. 4364. **Polonia:** PKO. WARSZAWA, Konto 150.283.

Superiorum et Ecclesiasticae Auctoritatis permissu.

DIRECTOR
P. Maximilianus M-a Kolbe

SPONSOR
P. Pius M-a Bartosik

Directio et Administratio MILITIS IMMACULATAE —
NIEPOKALANÓW (Wr.) Polonia (Pologne)

Niepokalanów. — Typis „Militis Immaculatae"